

nostrum deleverit coram Dei iudicio. Unde sequitur, non alter nos fore participes expiationis a Christo peractae, nisi apud eum residat honor ille, quem sibi rapiunt qui Deum placare tentant suis compensationibus.

Ac duo hic perpendere convenit: ut integer et illibatus suus honor Christo servetur: ut conscientias de peccati venia securae, pacem apud Deum haboant. Jesaias ait, Patrem posuisse in Filium nostras omnium iniquitates, ut livore ejus sanemur. Quod aliis verbis repetens Petrus ait, Christum pertulisse in corpore suo peccata nostra super lignum. Paulus scribit, damnatum esse peccatum in ejus carne, quum pro nobis peccatum factus est: hoc est vim et maledictionem peccati in ejus carne interemptam, quum in hostiam datus est, in quam tota peccatorum nostrorum moles, cum sua maledictione et execratione, cum horrendo iudicio Dei, et mortis damnatione, rejiceretur. Hie nequaquam audiuntur nugamenta illa: quod post initialem purgationem, passionis Christi efficaciam non aliter nostrum unusquisque sentiat, quin pro satisfactoriae poenitentiae modo: sed ad unicum Christi satisfactionem, quoties lapsi fuerimus, revocamur. Nunc tibi pestilentes eorum naenia propone. Gratianum Dei in prima peccatorum remissione solam operari: si postea cediderimus, ad secundam veniam impetrandam, opera nostra cooperatori. Haec si locum habeant, anne quae Christo superius sunt attributa, illi salva manent? Immane quantum haec differunt, iniquitates nostras positas esse in Christo, ut in ipso expiarentur, et nostris operibus expiari: Christum esse propitiacionem pro peccatis nostris, et Deum operibus propitiandum. Quodsi de pacificanda conscientia agitur: quao ista erit pacificatio, si audiat peccata redimi satisfactionibus? quando tandem illi satisfactionis modus constare poterit? Ergo semper dubitabit an Deum habeat propitium, semper nestuabit, semper horrescit. Nam qui levibus satisfactioniculis acquiescent, nimis contemptim iudicium Dei aestinuant: et param reputant, quanta sit peccati gravitas, ut alibi dicemus. Et ut ipsis concedamus, peccata aliquot justa satisfactione redimere, quid tamen facient ubi tot peccatis obruuntur, quorum satisfactionibus nec centum vitiae, vel si totae in hoc sint, sufficiere queant? Addo quod loci omnes, quibus asseritur peccatorum remissio, non ad catechumenos pertinent, sed ad regenitos Dei filios, et qui in ecclesiae sinu fuerunt diu nutriti. Legatio illa, quam tam splendide extollit Paulus: "Obsecro vos Christi nomine, reconciliamini Deo;" non ad exterros dirigitur, sed ad eos qui pridem regeniti fuerant. Atqui satisfactionibus valere jussis, ad Christi crucem eos ablegat. Sie quum scribit Colossensibus, Christum pacificasse per sanguinem crucis, quae sunt in coelo vel in terra, non restringit hoc ad momentum, quo recipimus in ecclesiari, sed ad totum cursum extendit. Quod facile ex contextu patet, ubi dicit fideles habere redemptionem per sanguinem Christi, nemo remissionem peccatorum. Quanquam plures locos congertere supervacuum est, qui subinde occurunt.

Hie in asylum confugiunt ineptae distinctionis, peccata quaedam *venialia* esse, quaedam *mortalia*: pro mortalibus gravem satisfactionem deberi: venialia facilioribus remedis purgari, oratione Dominicana, aquae benedictae aspersione, absolutione Missae. Sic cum Deo ludunt et ineptiunt. Quum tamen assidue peccatum veniale et mortale in ore habent, nondum alterum ab altero discernere potuerunt, nisi quod impietatem et immunditatem cordis, peccatum veniale faciunt. Nos autem (quod Scriptura justi et injusti regula docet) peccati stipendum pronuntiamus esse mortem: et animam, quae peccaverit, morte dignam.